


4705/6 tabulae marmoreae cr. 0,023-0,027 fragmenta quattuor; litterae satis bonae, saeculi p. Chr. secundi ut mihi videtur, a. 0,015-0,017. Asservantur casone del sale (ufficio degli scavi).



Descripisi ad lapidem, contuli ad ectypum. Calza *Not. d. sc.* 1927 p. 397 n. 39.


a + b + c: 2 fin. exstat vestigium, potest fuisse i. — 6 ex littera E superest vestigium ipsum per se incertum. — *d* 4 fin. videtur fuisse A. — 2 in. ante i vestigium incertum. — 3 in. mihi videtur esse i, non T.

Fragmenta composuit Calza; et cohaerent inter se sine ullo dubio fragmenta *abc*. Fragmentum *d* Calza ita adiunxit, ut in v. 3 legi possit *potius*; et posse hoc modo adiungi persuasi mihi in re praesenti. Tamen separavi fragmentum *d* a ceteris, quod fragmentis *a d* coniunctis versui 2


nullum supplementum reperio; vix enim quisquam scribere volet *permittier*. — Agi videtur in hac inscriptione de aliquo opere publico erecto permissu alicuius (2) loco concesso ab aliquo (6), quod probaverunt et dedicaverunt (5) duoviri, quorum alteri cognomen *Passer* haud inauditum erat (4). — 3 fortasse *fieri pot[est]*. — Quibus perpensis cum huic inscriptioni similis mihi videatur inscriptio ipsa quoque Ostiensis supra n. 325 (cf. add. p. 614), qua rescriptum pontificis Volcani et aedium sacrarum continetur, vv. 2. 3 eius de qua agimus inscriptionis suppleverim sic fere: [illud monumentum *constituer*]e *perm[itto]*, si sine exactione ullius monumenti *antea positi fieri pot[est]*.

4707 inscriptio portae Ostiensis orientalis, quae Romana dicitur, bis incisa scilicet ab utraque parte in 'attica'. Ex reliquiis restituere summa cura studuit Vaglieri; fragmenta exstant nunc mortario infixia iuxta portam, tripartita. Litterae optimae formae sunt, primi fere p. Chr. saeculi exeuntis vel secundi ineuntis (cf. infra), altae v. 1 ca. 0,213, v. 2 ca. 0,155-0,165, v. 3 ca. 0,145, v. 4 ca. 0,125, v. 5 0,097-0,098. Spatium scripturae destinatum utriusque inscriptionis compositum erat ex compluribus tabulis, ita ut litterae ex parte recta linea dissectae sint.


Exemplar I.



Exemplar II.



Fragmenta sedis incertae.



Descripisi; contuli iterum atque iterum et ad lapidem et ad imagines fricando expressas (*Durchreibungen*), quas Vaglieri olim Dessavio misit; nonnulla fragmenta mea causa iterum contulit Kalsbach. Fragmenta maiore ex parte edidit in unum textum contracta Vaglieri *Not. d. sc.* 1910 p. 30. Ego breviter tractavi *Sitz.-Ber. Berl. Ak. phil.-hist. Kl.* 1928 p. 46 sqq.

Ordinem, quem Vaglieri instituit, in singulis hic illic mutavi: nonnullis fragmentis alium locum assignavi, nonnulla adhuc sedis incertae in suos locos restituere posse mihi videbar. Ceterum apparet etiam primum inspicienti complura fragmenta eodem iure utriusque exemplari attribui posse. — Porta primum aedificata est una cum moenibus, i. e. aetate fere Sullana (v. supra p. 609); inscriptio autem, cuius reliquias habemus, debetur ei, qui portam vetustate corruptam renovavit. Quod quando factum sit haud satis constat; factum esse secundo fere post Christum saeculo ineunte videtur Arminio de Gerkan, quam ad coniecturam optime quadrat forma litterarum.

1. 2 *senatus populusque Romanus coloniae Ostiensium muros dedit*. Si recte restitui, versus primi duo haberi possunt pro inscriptione aetatis Sullanae in inscriptionem novam recepta. — Ad vv. 1. 2 Vaglieri pertinere censuit fragmentum sedis incertae *c*; mihi videtur potius pertinere ad vv. 3. 4. — 3 versus mutilior est, quam ut eum restitui posse sperem. Litteram, quae nunc in exemplari I paenultima est, Vaglieri putavit

esse *c*, mihi videtur esse *o* vel *q*. Ceterum moneo fragmenta tria extrema, quamquam in secundo versu textum bonum efficiunt, tamen fortasse non omnia ex eodem exemplari provenisse; et cum in altero exemplari singulas litteras inter se paulo aliter collocatas fuisse et ipsum per se verisimile sit et cetera fragmenta doceant, parum certi sumus de spatio inter litteras extremas versus 3 postulando. *fe[c]itqu[e]*? — 4 *P. Clodius* (vel *Claudius*) *Pulcher* sine dubio is est, qui portam renovavit. Ceterum quis fuerit ignoratur (certe non idem cui Nolani patrono suo titulum posuerunt C. X 1250, cf. *Pros. imp. Rom.* I p. 395, 780); fortasse fuit patronus coloniae Ostiensis. — Ad hunc versum et ad sequentem pertinet fragmentum sedis incertae *d*: *[fir]mav[iti]*? — v. 5 frg. inc. *d + e* [*omni splendo*]re *a* [*solo re*]fe[*cit*]? — frg. inc. *f*: vix suppleri potest v. 4 [*Clodiu*]s *P[ulcher]*, v. 5 [*cor*]ru[*ptam*]; nimis enim collocatio litterarum discreparet ab altero exemplari. — frg. inc. *h*: littera *m* videtur ad v. 4 pertinere, quamquam paulo altior est quam ceterae huius versus.

Fragmentum tabulae marmoreae marginatae (0,63 × 0,40) $\mathcal{R}\mathcal{O}$, quod edidit Vaglieri *Not. d. sc.* 1910 p. 435 n. 2, primum mihi videbatur referri posse ad inscriptionem portae (ex. I v. 1 *populus*); sed obstat, quod provenit ex theatro (altitudo litterarum quae traditur m. 0,16 pertinet sine dubio ad reliquias quae supersunt, quadrat igitur ad v. 1 inscriptionis portae).